DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS LANG,

Scotus,

CHIRURGUS.

" Principiis obsta ; sero medicina paratur,
" Cum mala per longas convaluere moras."
OVIDIUS NASO.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1819.

PATRI CARISSIMO,

JOANNI LANG, ARMIGERO,

QUO NEMINE MELIOR,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

ANIMO CURAE PATERNAE MEMORI,

PIETATEQUE, QUA FILIUM DECET,

SACRAS VULT

GEORGIUS LANG.

Hope is nothing but a false delay,
The sick man's lightning half an hour ere death,
When faintness, the last mortal birth of pain,
And apathy of limb, the dull beginning
Of the cold staggering race which death is winning,
Steals, vein by vein, and pulse by pulse away;
Yet so relieving the o'ertortured clay,
To him appears renewal of his breath,
And freedom the mere numbness of his chain;
And then he talks of life, and how again
He feels his spirits soaring; albeit, weak,
And of the fresher air, which he would seek;
And as he whispers, knows not that he gasps,
That his thin finger feels not what it clasps;
And so the film comes o'er him, and the dizzy
Chamber swims round and round, and shadows busy,
At which he vainly catches, flit and gleam,
Till the last rattle chokes the strangled stream,
And all is ice and blackness, and the earth
That which it was the moment ere our birth.

BYRON.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI.

PRAEFANDA.

Instrumenta, quorum ope spiritum trahimus et emittimus, quam plurimis morborum generibus patent. Quod si in animo habeamus eorundem actionem sanam vitae prorsus esse necessariam, nullum fere malorum, quae hanc impediant, levis esse momenti, aut non studium medicorum acerrimum sibi vindicare liquebit. Summos igitur medicinae honores ambiturus, legique imperatrici obsecutus, de luctuosissimo,

et eheu! frequentissimo omnium pulmonis morborum, nimirum *Phthisi Pulmonali*, pauca conscribere statui. Neque me novis rebus argumentum, a tot et tantis viris jam saepius agitatum, ditare posse professus, nec viribus non diffisus, hoc opus aggredior. Consilium est ea quae ad *phthisin pulmonalem* attinentia clarissimi auctores patefecerint, et praesertim inter hodiernos DUNCANUS, noster MEDICINAE THEORETICAE professor, quam lucidissime et brevissime potero, exponere.

DE DEFINITIONE.

CULLENUS eximius *phthisin pulmonalem* ad classem *Pyrexiae* et ordinem *Haemorrhagiae* relatam, ita definivit: "Corporis emaciatio et debilitas, cum tussi, febre hectica, et plerumque expectoratione purulenta." Idem auctor duas

adjecit *species;* scilicet, "Incipientem, sine ex-"pectoratione puris," et confirmatam, cum "ex-"pectoratione puris."

Hisce fateor multa, me judice, objicienda. Imprimis, parum recte, hic morbus *haemoptysi* subjicitur; neque enim haec semper in illum desinit, nec non ille persaepe citra hanc praegressam invadit. Si equidem is status pulmonis, qui exulcerationem antecedit, rite pars mali propositi habeatur, manifestum est *ordinem* Phlegmasiae potius idem complecti. Huc accedit, abjiciendas *species* Cullenianas; siquidem non nisi duas partes cursus unius et prorsus ejusdem morbi insigniunt. Etiamsi definitio maculis nequaquam vacat, satis tamen mihi convenire videtur: hac igitur accepta, et *speciebus* istis rejectis, tres Duncanianas proponere visum est. Hae autem sunt:

I. *Phthisis catarrhalis,* membranam *mucosam* pulmonis inflammatam secuta.

II. *Phthisis tuberculosa*, vel quae tuberculis inflammatis et exulceratis continetur.

III. *Phthisis apostematosa*, cui *vomica* in ulcus vertitur.

DE SIGNIS.

Cum ulcus omne inflammationi praegressae supervenit, in aprico est notas hujus morbi duplicis esse generis ; nimirum,

A. Quae pulmonis inflammationem sive malum acutum testantur ;
B. Quae deinde exulceratione nascuntur.

A. Primum fere signorum omnino est tussis crebra, molestiae summae, et titillatus ad fauces relati genitrix, sputique expers ; quae indies vesperi ingravescit. Interdum aeger diu nil praeterea queritur, impavidus simul. Huc ac-

cedunt sensus quidam gravitatis et ardoris circa os pectoris, et dolor lateris levior, graviorve, spiritu trahendo et corporis motu auctus. Respiratio aequo difficilior est, et inter ambulandum celeratur. Quod latus dolet, in id aeger difficulter jacet. Cor modo palpitat, praesertim animo vel corpore exagitato. Arteriae micant citius et durius quam fert natura; nec vero semper validius. Aliquando ambulanti, praecipue in acclivi loco, actio pulmonis, cordis et arteriarum adeo incitatur et turbatur, ut hominem, quo melius anhelet, neve ei anima deficiat, statim quiescere oporteat. Illud quoque notandum, mente hilari vel serena, summum artuum languorem adesse.

Capitis dolor, sitis, febricula simul urgent. Summa cutis ultra debitum calet; cibi fastidiuntur, aliquando sumpti evomuntur: subinde, pauxillum pituitae exscreatur. Secernenda et excernenda minus aequo secernuntur et excernuntur: malae saepe laete rubent: plantae pedum volaeque manuum exardent. Lingua non

raro sorde candida aut subflava squalet. Urina redditur rufa et parcior ; quod tamen perpetuum non est. Praeter haec, modo signa *catarrhi*, modo *asthmatis*, alias *haemoptyseos*, alias *peripneumoniae* torquent, &c. prout hoc illudve pulmonis acutum malum exulcerationem inferat aut antecedat. Ne multa, notae *phthiseos* ineuntis signa sunt pulmonis acuti mali, corpori sanguineo, gracili, delicatiori, et fere struma inquinato contingentis.

Haec signa temporis lege certa vacant; quibusdam, paucos dies, nonnullis aliquas hebdomadas, vel menses perseverant. Quinetiam vel mitissima, vel acerbissima plectere possunt.

B. Tandem terrentia superveniunt. Dolor pectoris et tussis ingravescunt ; pus expuitur viride, flavum aut cruentum aut calculis mixtum. Tempore matutino, aeger plus et facilius excreat ; aliquando non minus libram intra unum diem. Corpus insigniter emacrescit, et febris *hectica* exercet.

Demum caterva notarum dirissima plectit. Vultus eo pallet et collabitur, (nisi quod macula quasi ruberrima utramque genaram vesperi colorat,) ut ossa malarum nimis eheu oculis patescant: oculi splendent, instar margaritarum albescunt, et quasi sidunt. Persaepe capilli et cuticula decidunt. Lingua et fauces tenerrimae rubent, *aphthis*que vitiantur ; nec siti nec cibi fastidio multum torquente. Ungues adunci fiunt: spiritus aegerrime trahitur et emittitur; motus arteriarum citissimi fiunt et languidissimi. Infelix vicissim sudoribus nocturnis, gelidis, profusis, viscidis, et alvo injussu animi profusa maceratur. Pedes et crura aqua intercute tument ; pauloque ante fatum miser delirat ; animaque crebro ei deficit. Artus tandem frigent ; spiritus cessat ; distentiones nervorum hominem vellunt ; morsque exoptanda tot tantisque aerumnis finem imponit.

QUAEDAM DE FEBRE HECTICA.

Febrem *hecticam* haecce verba satis accurate definire videntur: "Febris remittens, quae habet duas accessiones quotidie; unam meridianam leviorem, alteram vespertinam graviorem; et remissionem praecipuam matutinam; cujusque accessio, praesertim vespertina, ex horrore, ardore, et demum sudore nocturno, urina simul crassa et copiosa, constat."

Haec febris, instar intermittentis, horrorem, ardorem et sudorem exhibet; quod vero ad tempora et spatia, certa lege prorsus caret. Signa quam paucissimis enarrabo.

De horrore.—Vesperi membra omnia horrent, et extenuantur. Aeger, summa cute praeter naturam calente, sibi frigere videtur. Vultus pallet; mens parum aut nihil languet. Arte-

riae exilius et citius micant. Secernenda et excernenda secerni et excerni desinunt.

De ardore.—Non multo postea ardor totum corpus percurrit, maximeque manus et pedes. Alterutra vel utraque genarum macula ruberrima media floret. Mens hilaris et jucunda est; adhuc secernenda et excernenda supprimi perstant.

De sudore.—Tandem hora circiter secunda tertiae vigiliae noctis sudor erumpit; initio, circa cervices, frontem, &c., dein sensim per singulas partes corporis. Ad auroram usque ineuntem perseverat: urina tunc multa et crassa esse solet; quod tamen perpetuum non est.

Simul atque sudor accessionem sustulerit, febris mitescit, at non conquiescit. Vires quotidie magis labefactantur; demum sudores desinentes alvi fluxus indies excipit. Quae duo mala hominem quam maxime extenuant.

Undecunque febris *hectica* nascatur, notas supradictas semper fere exhibet. Fateor simul morbum propositum eandem pessimam inferre, et causam ejus frequentissimam esse.

De quibusdam febris hecticae propriis.—Haec febris multa sui propria habet, quae eam aliis ab omnibus dignoscunt. Cerebri nimirum, mentis et ventriculi actiones parum turbantur: raro delirat aeger; cibos satis bene appetit; nec mens contristatur. Quae omnia aliis febribus contingunt. Sudor *hecticus* non est *criticus*, id est salutaris; at semper perniciosus et colliquefacturus. Denique, febris *hectica* semper morbo priori nititur.

De febris hecticae causis.—Causae *abditae* sunt corpus debile, mobile et irritabile praeter naturam; et frequentius, at non semper, *temperamentum* sanguineum et *struma*. Causae excitantes sunt pus aliaque irritamenta absorpta, inque sanguinem delata. Sanguis ipse mutatus aut vitiatus, citra pus aut alia acria absorpta.

Denique, irritantia ventriculo vel intestinis inclusa, veluti vermes, &c. Proposito alienum foret hic omnes has causas fusius persequi. Satis constat pus absorptum *phthisi pulmonali* implicitis causam esse hujus febris praecipuam.

QUAE CORPORIBUS PHTHISI ABSUMPTORUM SECTIS PATEANT.

Cadaveribus mortuorum incisis, modo *phthisis* cursum integrum prius expleverit, quam aeger perierit (quod non semper accidit,) alteruter vel uterque pulmonum exulcerari conspicitur. Interdum, deleto uno pulmone, id latus pectoris quamplurimum puris corrupti et cruenti habuit; nec nisi pauxillum alterius superfuit. Modo *pleurae* hic illic cohaerent : non raro plus aequo laticis inter eas secreti apparet. Aliquando patuit *foramen ovale.*

Praeter haec (quae omnigenae *phthisi* possunt evenire,) tubercula frequentissime inveniuntur; nullus dubito sane, quin ex decem corporibus *phthisicorum* scalpello patefactis novem fere pulmones tuberculis obsessos exhibeant.

Tubercula sunt corpuscula subrotunda, candida, paulo duriora, variae magnitudinis, pisis fere mole aequalia; vasis, nervis et fibris motricibus expertia, caseo cornuve simillima, telaeque reticulatae pulmonis sacculis inclusa. Pulmo hisce instructus gravior et solidior esse observatur. Diu tubercula ita ut retuli se habere possunt. Tandem, serius ocyus, inflammantur et suppurant, quando capsulae pure repletae fiunt. Scire simul licet, capsulas vel tunicas cingentes prius deesse, quam tubercula inflammentur, et suppurent. Demum capsulis et partibus circumjectis exesis, ulcus fit grande ex multis tuberculis; membranaque *mucosa* erosa, aditus in fistulas et cellulas spiritales puri patescit.

Non semper omnia tubercula simul hasce subeunt mutationes, sed eidem corpori quaedam dura, alia inflammata, alia exulcerata conspici possunt; haud secus atque eidem arbori semina non eodem tempore omnia maturantur. Multo saepius, pars summa et postica pulmonis plurima eorum habet; et laesus prae dextro iisdem obsessus notatur. Actio vitiosa et secretrix arteriarum *bronchialium* tubercula gignere videtur, quaeque cum struma sociatur; sed eorum fabrica perspecta, aliisque, quae hic loci meminisse alienum est, ea glandulas esse *conglobatas scrophula* tumefactas prorsus negamus.

DE CAUSA CONTINENTE.

Causa hujus morbi continens, quae nimirum sublata eum tollit, (arte, eheu! humana vix tollenda,) in animo habitis indiciis, et iis, quae patefacto cadavere deteguntur, EXULCERATIO PUL-

MONIS esse videtur. Nec eo de hac re dubitandum est, quod tubercula citra ulcera, id est lenta aut inflammata, sectis corporibus, interdum inveniuntur: mors scilicet aliquando prius absumit, quam ad exulcerationem ventum fuerit.

DE SIGNORUM RATIONE.

NON nisi signorum *phthiseos* inveteratae, nempe pulmonis exulcerati, rationi insistam.

De macie.—Corpus hoc morbo multo magis quam alio quovis plexum emacrescit. Duplici de causa tabes nascitur; nimirum, quod pulmo exulceratus eam actionem, qua *chylus* in sanguinem vertitur, impedit. Porro, quod febris *hectica,* isto ulcere prognata, corpus alvi fluxu et sudore macerat. Hinc patet, cur *phthisis* magis quam aliud quodvis adversae valetudinis genus ea febre stipatum extenuet. Ad maciem vel tabem,

id est, partes resorptas, neque novatas, plures notae referendae sunt; scilicet,

a. *Ungues adunci*, summis digitis tabescentibus tribuendi.

b. *Oculi lapsi*, adipe *orbitae* proprio absorpto orti.

Praeter alia istiusmodi, quamplurima signorum fibris motricibus laxatis aut infirmatis nascuntur; qualia sunt, oculi pallidi, et instar margaritarum splendentes; quod indicium corde et arteriis languentibus, ideoque particulis sanguinis rubris non ad arterias membranae *adnatae* delatis, nititur.

Cuticula, capilli, &c. *decidere solita;* corde enim et arteriis languide salientibus, ali desinunt.

Sudor gelidus et alvi fluxus; quorum ille oribus vasorum summae cutis resolutis, ideoque magis aequo patulis debetur; hic fibris vasisque secernentibus et exhalantibus intestini laxatis et debilitatis.

Aqua pedum intercus; partim arteriis exhalantibus vasisque *lymphaticis* infirmatis, partim sanguine aegre per pulmonem delato, ideoque per venas non facile reducto, oriunda.

Tussis et spirandi difficultas e pure acri pulmonem irritante oriuntur; nec aliunde *aphthae* proveniunt; fauces enim pus extussitum exasperat; eoque magis, quod membrana earum *mucosa* non satis alita delabitur.

DE CAUSIS ABDITIS.

PRAECIPUA ex causis abditis, id est, proclivitatis genitricibus, est labes a parentibus ad natos tradita. Propensiores sunt sanguinei, juventa florentes, graciles; quibus natura dederit caesariem candidam aut rutilam, vultum pulchriorem, et pectora angustiora; praeter modum animo et corpore irritabiles. Hinc constat, quare tot millia Britannorum in *phthisin*

incidant; quorum, scilicet, permultis indoles corporis jam dicta contingit. Huc accedit *struma;* qua nimirum plerique *phthisicorum* inficiuntur.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Causae excitantes triplicis sunt generis; nimirum,

A. Quae *phthisin tuberculosam* movent, id est, quae tubercula irritant et inflammant.

B. Quae *phthisin catarrhalem;*

C. Quae *phthisin apostematosam* gignunt. De quarum singulis nunc scribendum.

A. Tubercula inflammant, quaecunque pulmonem irritent vel exagitent; qualia sunt aër fumeus, inquinatus, humidus, frigidus; coeli mutationes subitae; particulae acres, *mechanicae*

vel *chemicae* cum anima acceptae ; pectus ictu violatum ; sermo diutinus et vehementior ; vocitatio crebra ; cursus expeditior. Huc accedunt *asthma*, *haemoptysis ;* et *hydrargyrus* ita ministratus ut totum corpus inficiat. Quinetiam *syphilitici* haud raro in *phthisin* incidunt : non quod veneris morbus hanc progignit ; sed quod praeparata ex *hydrargyro* ad illum debellandum data facultate stimulandi, qua pollent, efficiunt ut tubercula jam pulmoni inhaerentia inflammentur.

B. Omnes morbi, quibus membrana *mucosa* pulmonis inflammatur, si in *phthisin* abeant, causae ejusdem *catarrhalis* habendi sunt ; nempe, *catarrhus, influenza, rubeola, pertussis,* interdum *variola.*

C. *Phthisis apostematosa* inflammationem pulmonis sequatur necesse est ; quae ideo causa excitans existimanda.

DE DIAGNOSI.

Inter initia morbus, quem prosequor, adeo insidiatur, ut vel rei medicae expertus falli possit. Ex jam dictis enim apparet, id malum, quod Cullenus *phthisin incipientem* nominat, aliquem esse morbum pulmonis acutum; modo *pneumoniam*, modo *catarrhum*, vel quemvis alium eòrum morborum, quibus membrana *mucosa* inflammatur; modo *haemoptysin;* alias *asthma.* Saepe, igitur, dictu perdifficile est, necne pulmonis exulceratio sit futura. Causae sane abditae principio optimum documentum venturi mali existunt: nimirum, si quid malorum istorum causa levi excitante illata accesserit; si corpus sit procerum, gracile, *struma* saturum, sanguine plenum, pectore angusto praeditum; *phthisin* occisuram esse opinamur.

Notae hujusce pestis confirmatae, id est, pulmonis exulcerati, tam sunt singulares, suique si-

miles, ut vel imperitus vix aliud ullum valetudinis adversae genus falso *phthisis* judicari possit; nec profecto, uti existimo, orationem de hac rei propositae parte opus est producere. Quum tamen multis placet permagni puris notas, quas *chemia* offert, habere; quibus indiciis hic humor designetur, et a pituita dignoscatur, quam brevissime potero explicabo.

I. Imprimis, pus, *microscopio* interposito inspectum, particulas globosas albas latici tenui innatantes exhibet; pituita nequaquam.

II. Pus facile diffunditur aequaliter per aquam, si vas utrumque continens exagitetur: quod si deinde iste liquor quiescit, pus deorsum fertur. Pituita contra tam viscida et glutinosa est, ut aqua commisceri fere nequeat; et quies cito efficit, ut pituita aquae innatet, et quasi floccos repraesentet.

III. *Acidum sulphuricum* utrumque solvit; si autem aqua postea adjicitur, pus demittitur, pituita disjecta floccos trahit.

IV. Idem accidit, si hi duo humores *aqua potassae* solvuntur, et exinde aqua additur. Nec desunt alia documenta istiusmodi: de quibus silere, quam inutiliter hocce opusculum producere malo.

Denique, uti paucis absolvam, si quis humorem expuat, dotibus jam expositis puris propriis donatum, simulque celeriter et graviter tabescat, febreque *hectica* maceretur; eum *phthisi pulmonali* implicari manifestum est.

DE PROGNOSI.

Satis praedicant supra comprehensa spem perraro *phthisi pulmonali* tortis affulgere; omnia ad eandem pertinentia metum incutere. Quid genus hujus morbi terrentis exitiosius sit, quaesitu omnino inutile puto. Me judice, *phthisis catarrhalis*, et *apostematosa* jam confir-

mata non minus certam et celerem perniciem, quam *tuberculosa*, minitantur: *catarrhus* enim et *pneumonia* saepenumero citra morbum, quem prosequimur, secutum, invadunt. Ideoque non nisi corporibus natura ad hunc proclivioribus in eundem desinunt. Hanc porro legem uti perpetuam ferre licet; scilicet, quanto leviori causa excitante quivis morbus periculosus progignatur, tanto fere magis esse metuendum. Hujus legis ratio obscura non est; causa enim excitans levis morbum gravem parire nequit, nisi causae abditae admodum polleant.

In praecipiti eum versari liquet, quem *phthisis* jam inveterascens extenuat. Quo pacto enim, quibusve remediis, praeter divinam opem, id ulcus sanescere possit, cujus sedes continenter moveatur, assidue ab aëre circumfluo cui patet, exasperetur, huc demum accedentibus habitu malo et viribus fractis, me nescire fateor.

DE CURATIONE.

Duo consilia exequenda curationem hujus morbi amplectuntur.

I. Inflammationem ineuntem arcere, et exinde exulcerationi obviam ire.

II. Siquidem pulmo exulceratus sanus fieri nequit, signa *phthiseos* confirmatae lenire et viribus succurrere; quo eventus lethalis tardetur.

I. Quo inflammatio et incitatio debellentur, eoque aeger salvus fiat, prae omnibus jam ineuntibus malis, vitae genere et victui idoneis insistendum. Si igitur res familiaris angusta non vetat, Britannum, nave conscensa, Ulyssipponem aliamve ad Lusitaniae partem, aut ad Galliam meridionalem, aut ad Madeiram se recipere juvabit. Si vero id non liceat, ad Devoniam eundum; vel hyemem totam aeger in con-

clavibus arte tepefactis continendus est. Non igne patente, sed aëre calente per fistulas metallicas accepto, tepor idoneus his conciliari debet; qualis nimirum gradu circiter LXV^{TO} instrumenti FAHRENHEITANI insigniatur. Si sub dio aegrum ob negotia frigori, humori, et pruinis objici oporteat, panno laneo vestiendus erit. Ambulandum, equitandum, aut curru utendum indies, eo ut citra sudorem aut fatigationem secernenda rite secernantur, et excernenda excernantur. Carnes, vinum, *alcohol*, condita, salsamenta, magis angue et cane fere evitanda. Victus optime convenit e lacte asinino et frugibus. Nec vero non confiteor interdum cibos fortiores, id est carnes, simpliciter equidem coctas, ab initio ipso concedendos; nempe, si tubercula pulmoni inhaerere suspicemur. Etiamsi enim incitamenta omnigena faciunt ut tubercula inflammentur, scire tamen licet, nihil magis quam vires languentes *strumae* favere.

Quod ad medicinae auxilia, sanguinem elicere decebit, plus minusve prout edoceant vires,

aetas, dolor, motus arteriarum, &c. Quum vero pene omnes *phthisici* mobiliores, irritabiliores, graciles, indolisque paulo delicatioris sunt, sanguinem parce frequenter, quam largius semel aut bis detrahi malo.

Emplastrum e *meloë vesicatorio* cuti summae circa os pectoris imponendum, si dolor urgeat, arteriaeque concitentur. Idem saepius admovendum existimo; quo humoribus extrorsum versis, vasa pulmonis expedirentur.

Alvus quoque medicamentis lenioribus est purganda; qualia sunt, *oleum* e seminibus *ricini communis*, *phosphas sodae*, et similia: acriora viribus conterendis nocebunt.

Vomitum arte ciere inter initia subinde juvit; non solum ventriculum sorde irritatura expedit; verum etiam alvum movet, si ope radicis *ipecacuanhae* et *tartratis antimonii* excitetur: quinetiam, sputum et cutis halitum eli-

cit; eoque febrem et inflammationem sedat. Denique, eadem remedia ita ministrata ut nauseam citra vomitum molirentur, cordis et arteriarum actione minuenda, proficient.

Omnia, quae refrigerent, praesertim succi fructuum acidulorum, huc optime conveniunt. Nulla vero ex omnibus potestatibus sedatricibus laurum sibi praetulit nobiliorem, quam *digitalis purpureae* folia: vel *tincturae* guttae x aut xv, vel pulveris dimidia pars grani, quotidie dantur. Multis hoc medicamentum non convenit. Si, igitur, idem quotidie sumptum, paucis diebus elapsis, animi angorem et moerorem inferat, cutem gelido sudore humectet, cordis et arteriarum motum infirmet, aliasque notas malas ejus proprias gignat; non solum praetermittendum erit, sed illico vires refocillari debebunt vino, *alcohole*, aut *aromate* quovis. Ne multa, profiteor me corpus rite vacuefactum, et idoneam vitae et victus rationem multo pluris, quam istam herbam ministratam, facere.

II. Si arte humana frustra nitente, ulcus demum pulmonis fatum certum infelici minitetur, robur, quantum fieri possit, conciliare, et signa molestiora consopire oportebit.

Signa consopienda sunt dolor, tussis, spirandi difficultas, alvi fluxus, sudor, &c.

Dolor et tussis *opium* et demulcentia postulant. Ex his aqua, in qua *lichen Islandicus* decoctus fuerit, lac, *gummi acaciae*, et *astragali tragacanthi* praepollent. Si qua de causa *opium* aegro minus aptum sit, *lactucarium*, succus concretus *hyosciami nigri*, aut *conii maculati* concedenda. Lex esto fere perpetua, notas jam dictas exulcerato pulmone, neque sanguinem mitti, neque emplastrum e *meloë vesicatorio* imponi, nec dari folia *digitalis purpureae* desiderare: ista enim remedia, jam urgente inflammatione, concedi solent, quo minus in exulcerationem abeat: ideoque, hac praesente, inutilia sunt, imo vero conterendis viribus obesse possunt. Quum tamen ars medicinalis praecepta semper servan-

da vix habet ulla, sic fieri potest, ut vel *phthisi* confirmata, venas vacuefieri, et alia auxilia istiusmodi praecipi deceat: nimirum, si pulmone tuberculis obsesso, quaedam eorum exulcerentur, alia inflammentur. Hunc statum pulmonis insigniunt dolor acutus, febris, arteriae concitatae cum signis morbi propositi inveterati sociata. Si igitur ita se res habeat, istis remediis utendum.

Praeter jam dicta, sputum vapore aqua fervida oriundo, in animae fistulas accepto, adjuvari debet.

Alvus continenda *opio* adstringendi facultate praeditis adjecto: scilicet, *extracto mimosae catechu*, *kino*, *carbonate calcis*, *extracto haematoxyli campechiani*.

Acida ex iis quae effodiuntur, praeparata, nempe, *sulphuricum*, *nitricum*, *muriaticum*, sudores reprimunt. At vero lugendum, sudore cohibito, alvum laxiorem fieri: hunc contra tar-

datum, efficere ut ille copiosior profluat. Cum demum, uti conjicimus, alvus fusa perniciem praesentiorem, quam sudor, secum affert, si utrumque horum malorum coërceri nequeat, illi potissimum insistendum esse constat.

Victus nunc praestat e carnibus assis aut elixis et egelidis confectus, citra condimenta et salsamenta; qualis labentibus viribus succurrat: nec simul corpore ultra debitum calefaciendo, sudores profusiores cieat. Vinum rubrum Lusitanicum rite accedit.

Manifestum est ea, quae de vestitu, et vitae genere, ineunte hoc morbo, scripsimus, eodem quoque provecto, aliquantum opis polliceri. Saepius autem fateri cogimur usu docti, omnia artis medendi auxilia non nisi ad mortem tardandam valere.

FINIS.